



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 6. Lunæ, aliorumq[ue] siderum influxus etia[m] in monstra multum  
posse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

quam neque Deus erret, neque Natura, si dispositiones, si locum, si influxus siderum spectemus, quorum diuersi concursus, diuersos exigunt effectus. Et apud ordinariè monstrosos, tales monstrosi non existimantur, licet maximè sint: non enim se, sed alios, ad se solent æstimare.

## §. VI.

*Luna aliorumq; siderum influxus etiam in monstra multum posse.*

Multum autem in hac re etiam facere caelestium corporum operationem, exemplo recenti possumus docere. Nostra enim memoria, Halæ, in Tyroli, iuuenis cetera egregius, sed ibidem patre Iudæo natus, nomine Bonaquistus, admirabiliter in ventre monstrosus fuit. Quippe crescente luna, inde sic illi quoddam taurinum excrecebat caput, non sine cornibus, vt caligæ illius nequaquam satis possent constringi. Qua de causa, semper crescente luna domi se continebat; decresciente autem eadem, quia & monstrum decrescens se se intra viscera reuocabat, aut detumescebat potiùs, foras prodibat, zona iam arctiore. Quod & in alio iuvene, hîc Ingolstadij fuit videre, cûi itidem, semper luna auctiore, altera



altera maxillarum atq; labra oris, in im-  
mensum turgescabant; luna autem lumen  
amittente, redibat clementior forma. At  
quis tandem negabit, humores omnes cum  
luna inualescere? Quod ergò sidus hoc ex  
parte, & ad tempus certum fecit, vt pro-  
moueret monstrositatem, cur non possent  
etiam efficere reliquorum astrorum mali-  
gni aspectus? Sicut enim nulla in cælo lu-  
cet stella otiosè, ita neque stellarum con-  
iunctio suo effectu carebit.

## §. VII.

*Quam vim in monstra habeat materia, vis  
formatrix, &c.*

Porro, sicut etiam quando animal gi-  
gnitur, non tantùm solis aliorumque  
astrorum influxus, aut regionis vel salu-  
britas, vel inclementia id extrinsecus at-  
tingunt; sed & alia concurrunt, vt virtus  
formatrix, quæ semini inhæret; materia è  
qua foetus coalescit; receptaculum item  
foetus; & completio primarum qualita-  
tum: ita & hæc nimis redundantia, aut de-  
ficientia in caussa sunt, vt totum foetus  
opificium nõ ad amussim exprimatur;  
aut, vt mistis seminibus, Androgyni, seu  
Hermaphroditi, itemque corporis figura  
semi-

Vide Ari-  
stot. lib.  
4. de ge-  
ner ani-  
mal. c. 4.  
Plutarch.  
lib 5. de  
placitis  
Phil Ga-  
lenum de  
hist Phi-  
lotophica  
cap. 113.